

17. Nov.



1791,1  
18

M

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVG<sup>V</sup>RALIS  
DE  
**CESSIONE NOMINIS**  
ET IN SPECIE  
DE  
**CONCVRSV PLVRIVM CREDITORVM**  
IN  
EXIGENDO CESSO DEBITO

---

QVAM  
SVB AVSPICIIIS AVG<sup>V</sup>STISSIMIS REGIIS  
CONSENTIENTE ILLVSTRI M<sup>I</sup>CTORVM ORDINE  
PRO ADIPISCENDIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

DEFENDET

DIE X IVNII MDCCXCI

FRIDERICVS GEORGIVS ANCKELMAN  
HAMBVRGENSIS.

---

GOTTINGAE

TYPIS BARMEIERIANIS.



INCLITAE

L. S. R. L.

REIPUBLICAE HAMBVRGENSIS

S E N A T V I

SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIONO

V I R I S

PERILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS  
AC EXCELLENTISSIMIS

P A T R I A E P A T R I B V S

H O C

QVALECVNQVE SPECIMEN INAVGVRALE

OMNI DEBITA REVERENTIA

D. D. D.

T A N T O R V M N O M I N V M

C V L T O R O B S E R V A N T I S S I M V S

A V T O R

## CONSP ECT V S.

### A. de nominis cessione generatim.

Notio nominis cessionis

§. 1.

Eius diuisio a vario respe<sup>c</sup>tu repetita

§. 2.

Neque debitoris cessi neque alterius tertii repetere  
consensum oportet. Creditor libere disponit de  
iure sui nominis.

§. 3.

Referuntur tamen casus, vbi, tertii voluntas ob  
metuendum praeiudicium exploretur, non tam  
consilii quam necessitatis esse videtur.

§. 4.

#### Nominis cedendi qualitates:

1) vt a creditoris persona in aliud subiectum  
singulare possit transferri.

§. 5.

\* 3

2) vt

2) vt sit verum nomen, bonum praestare nomen cedens non cogitur, nisi speciales forte interueniant rationes.

§. 6.

Modum cessionis ex titulo emtionis venditionis factae definiuerunt sat superque imperator Anastasius eiusque successor Iustinianus

§. 7.

Explanatur, quando contra illum praescriptum modum haud peccatum dici poterit

§. 8. et 9.

Nonnulli interpretes putant, paucos casus lege Anastasiana exceptos, quibus noluit tam exacte seruari praescriptum modum sublatos esse. L. 24. C. Mandati; sed probatur, hanc legem numquam esse vsu forensi receptam, et deesse veteribus editionibus corporis iuris.

§. 10.

Exceptione legis Anastasianae opposita cessionarium onere probationis grauandum propugnatur.

§. 11.

Ad quem pertineat residuum, lege Anastasiana suum vindicante locum, exponitur, variaeque simul interpretum proponuntur sententiae

§. 12.

Probatur et defenditur vsus hodiernus legis Anastasianae.

§. 13.

Effe-

Effectus cessionis legitime peractae vario sese exserunt respectu. Spectari possunt tum ratione cedentis et cessionarii tum ratione cessi debitoris.

§. 14.

Cessionarius proprio agens nomine se legitimare debet ad causam i. e. cessionem factam ex iusto titulo, probare tenetur.

§. 15.

B. de concurso cedentis et cessionarii, nec non cessionariorum inter se speciatim.

Praemittitur notio concursus

§. 16.

Facta cesso debitori denunciatione praefertur cessionarius creditori cedenti.

§. 17.

Et nil iuuat creditorem cedentem, si forte ius pignoris vel nexum sideiussionis noluit prodefesse cessionario.

§. 18.

Exponitur, quando plures dicantur concurrere cessionarii et quomodo is concursus queat existere.

§. 19.

Enucleatur quaestio, an valeat cessionarius ius suum iterum transferre in alium.

§. 20.

Si agatur de iure praelationis inter ipsos cessionarios, varias intellexi interpretum sententias.

Alia est opinio a SANDE proposita. Alia Alphonsi de Olea.

§. 21.

Aliam

Aliam tenent opinionem ii, qui discrimen volunt  
statui inter cessionarios cedentis creditores et non  
tales. Proinde variam exhibent decisionem

1) si cessionarii non sint cedentis creditores, et  
refutant priorum opiniones

§. 22.

2) si sint cessionarii creditores sed non hypo-  
thecarii omnes.

§. 23.

3) si sint omnes hypothecarii cessionarii

§. 24.

Exhibitetur nostra sententia.

§. 25.

Et denique

demonstratur, quid sit iustum, nomine pluribus  
oppignorato.

§. 26.

*De*

A. *De cessione nominis generatim.*

---

§. I.

Cum nominis cessio sub cessione in sensu lato sumta comprehendatur, cessionis notionem praemittere licebit. Nobis est cessio *generatim* sumta *translatio iuris agendi in alterum iusto titulo facta*. Quo intelligitur, tria occurtere requisita in quacunque cessione: 1) Subiectum, *cedens*, qui suum ius agendi in alterum transfert. 2) Subiectum *cessionarius*, in quem ius transfertur; Et denique 3) obiectum ipsum utputa ius agendi transferendum. Quod consistere potest vel in re in rem, vel in iure agendi in personam. Actionem personalem in alterum transferre recipit phrasin cedere nomen a). Nomen comprehendit quod cuncte creditum et debitum. Quo patet, nominis cessionem esse translationem crediti in alterum iusto titulo factam.

De

a) Vocabulum *nomen* alias quoque habere significatus probat *Vicat* in vocabulario iuris sub voce *nomen*.

A



De hac quaedam delibare et commentari periculum facio. Praemissis generalibus, speciatim inquirere est animus, qui nam perfruatur iure praelationis, cum in exigendo cesso debito oritur conflitus inter vel ipsum cedentem et cessionarium; vel inter plures, quibus idem est cessum nomen.

### §. 2.

Vario modo diundi posse nominis cessionem probatum titulus eius: tum forma. Illo respectu ea abit in testamentariam, quae fit testamento, et conuentionalem, eamque vel onerosam vel gratuitam: prout conuentione onerosa vel gratuita perficitur. Posteriori respectu dispescitur 1) in voluntariam et necessariam: illa fit libera cedentis voluntate; haec ex obligatione antecedente, qualis est in herede fideicommisso grauato b). 2) in iudicialem et extraiudicialem, prout fit vel in iudicio vel extra illud.

### §. 3.

Cilibet creditor, libera de rebus suis disponendi facultate gaudenti, potestas est ius suum in alterum transferendi, ita, vt in hac iuris alienatione tertii consensu minime egeat. Neque necesse est, vt debitoris exploretur voluntas, eo inscio, imo et inuito, mandantur actiones, ceu responsum tulit imperator Alexander lege 3. C. de hereditate vel actione vendita nobis seruatum. Inquit nempe Alexander: *nominis venditio, etiam ignorante vel invito eo, aduersus quem actiones mandantur, contrahi solet.*

### §. 4.

b) L. 37. D. ad Scđum Trebell.

S. 4+

Interueniunt tamen nonnunquam speciales rationes tertii consensum efflagitantes, vel debitoris, cum in eius praetudicium forte vergat cessio; vel alterius tertii non debitoris principalis. Ita in Saxonia oportet requirere consensum eius, cuius fundus vel feudalis vel allodialis, nexus pignoris tenetur *c.* Deficiente hocce nouo consensu subsistit translatio ipsius crediti, sed ius hypothecarium eidem annexum extinctum habetur.

Casus debitori cesso praeiudicium minantes censemuntur:  
1) cum cessio fiat in potentiores v. g. praesidem prouinciae, quam tanta vindicant seueritate leges, ut creditores credito sibi cesso prorsus priuentur d): adeo, ut nec cessioneerius, nec cedens cum effectu actionem valeant instituere. Vtrique opponitur exceptio non competentis actionis; ille nullum habet ius agendi perfectum, quia cessio est irrita; hic iure agendi, quod ante factam cessionem habebat, in poenam est priuatus. In Germania nostra usum huius dispositionis suum quoque vindicare locum viri summae auctoritatis e praxi probatum dederunt. Neque enim ratio ex cogitari potest suadens illius abolitionem. Potentiores e) in Germania appellari possunt principes et suo modo eorum ministri a consiliis intimis, qui in nonnullis territoriis tanta

c) BERGER O. I. Lib. 3. tit. 5. th.  
v. not. 4. pag. 472. edit. WINCKLER.

*d) L. 2. C. ne licet potentio-  
ribus.*

e) BERGER cit. thes. not. 2. et  
BRUNNEMANN de cessione. c. 2.  
n. 20. potentiores sunt non tantum  
magistratus aliquie munere sublimi-  
fungentes, sed generatim omnes op-  
ibus vel autoritate plus valentes.

valent autoritate, qua iudices saepe numero commouentur, vt a partium studio alieni esse haud dubitent, ministro actori blandiantur, causamque eius in summum rei inferioris conditionis detrimentum decidere haud erubescant. — Mediam tamen ingrediuntur viam nostri l*ceti f)* discernendo nomen *liquidum* ab *illiquidio*: illius cessionem bona mente factam habent ratam: non autem posterioris. Probo hanc distinctionem in casu, quo debitum adeo liquidum est, vt exceptions peremptoriae aperto cessent. Si iis autem locis dari potest, iuri communi, puto, tenaciter esse inhaerendum; nam eadem metuuntur fraudes, quae circa debitum illiquidum adhiberi queunt *g)*. Caeterum in praxi toleratur cessio ex causa honesta facta. — Alter casus, quo cessio nominis prohibetur, occurrit in iudeis, quippe qui nomen ex contractu cum Christiano inito acquisitum in Christianum transferre vetantur. Valide e contrario cedit iudeus creditum in alium iudeum, vel etiam in Christianum, si debitum e contractu inter duos iudeos inito originem ducat, iudeus enim non tam facile circumuenit suae religionis asseclam. Ius romanum ignorat prohibitionem cessionis iudei nominis in Christianum, absque habita distinctione, quomodo debitum contractum sit. Legibus imperii

*f)* LEYSER Spec. 200. m. 1. MEVIVS P. 3. dec. 50. CRELLMANN de cessione literar. cambialium cap. 2. §. 16.

*g)* Sunt nonnulli ICti, quos refert GROENEWEGEN ad L. 2. Cod. ne liceat potentioribus, putantes, prohibitionem cessionis in potentiorem

omnem perdidisse usum. Sed est mea ex sententia opinio nullis munera idoneis rationibus; quod et monet STRYCKIUS diss. de potentio cessionario. CRAMER in obs. iur. vniu. T. VI. obs. 1412. p. 41. STRYCK Caut. Contr. S. 4. c. 2. §. 5. BRVN-NEMANN ad L. 2. C. ne liceat potentioribus.

imperii illam debemus, utputa, Receffui imperii de 1551.  
§. 79. quo cautum legimus:

*Es soll auch kein Christ hinfürters einem Iuden seine Aktion und Anforderung gegen einem anderen Christen abkaufen: oder ein Iud als Schuldgläubiger einem anderen Christen solche Aktionen und Forderungen in einigem Weg cediren, oder einigs Contractis-Weifs zu stellen bey Verlust der Forderung h).*

Repetitam eam sanctionem deprehendimus quoque Reform. pol. de 1577. tit. 20. §. 4. i).

Rationem huius cessionis prohibitionis quaerunt in praesumta vſuraruſ prauitate, quam iudei committere putantur, et indecorum censuerunt maiores nostri, Christianum illius prauitatis vſurariae fieri participem. Non nulli ICti creditum iudei, ex quocunque descendant contractu, incessibile habent k). Dubito autem quam maxime, an maiores rectum tulerint iudicium. Etenim regula iuris est generalis: *nemo potest plus transferre in alterum, quam ipſe transferre volens habet.* Nec iudeo licet vſurariam exercere prauitatem, debitor ei soluit, quod de iure debet perfecto, si plus, quam debet, petitur, exceptione plus petitionis, seu hacce materia exceptione vſurariae prauitatis

A 3

h) SENCKENBERG Samlung der Reichs - Abschiede. Theil II. p. 622.

i) SENCKENBERG A. Samlung. Theil III. pag. 390.

k) COCCEII iur. contr. lib. 18. tit. 4. quæſt. 13. BERGER ad LAVTERB. tit. de hered. vel act. vend. quæſt. 5.

tatis sese defendit. Posito casu, iudeum cessisse nomen  
vſurarium in christianum, huic totum nomen petenti aequo  
ac iudeo cedenti, opponitur exceptio plus petitionis ceu  
vſurariae prauitatis, qua efficit reus christianus cefſus, vt  
conditio eius nulla ratione reddatur deterior, cefſionarius  
que plane prohibeat percepere commodum vſurariae pra-  
vitatis. Nonnulli interpretes distinctionem fuaserunt inter  
iudeum receptum vulgo *Schuzjuden* et non receptum;  
illius cefſionem habent ratam, non vtique posterioris. Re-  
ceperunt eam dicasteria Hannoverana et Halberstadien-  
ſia<sup>1)</sup>. Mihi equidem non aridet; iudei enim recepti ae-  
que committere solent vſurariam prauitatem ac non recepti,  
quam sat superque quotidiana probat experientia <sup>m)</sup>. Probo  
itaque saxoniae constitutionem cefſionem nominis iudaici  
in christianum contra christianum libere permittentem,  
reique naturae omni modo respondentem.

Tertius casus prohibitus spectat ad tutores curatores  
que, qui tempore administrandae tutelae vel curateliae imo  
et eadem finita a pupilli creditore vetantur redimere actionem <sup>n)</sup>. Ratio huius dispositionis naturalis est, tutorenim  
vel curator patrimonium pupilli administrans variis occultis  
modis pupillum vel minorem defraudandi habet occasio-  
nem, quae fraudes adeo clanculae esse possunt, vt non  
tam facile detegantur. Harum amputandarum gratia inter-  
di-

<sup>1)</sup> a PVFFENDORFF Tom. II.  
obs. 158.

<sup>m)</sup> PVFFENDORFF I. c. §. 3.

<sup>n)</sup> STRYCK V. M. Dig. Lib. 18.  
tit. 4. §. 12. non probat nominis

cessionem a iudeo in christianum  
factam, sine discrimine, an credi-  
tor iudeus receptus in prouincia sit,  
sive non.

dicta est eiusmodi cessio, ita ut si contra legem actum appareat, neque cessionarius neque creditor cedens actionem mouere queant. Quartus denique casus prohibitus spectat ad personam creditoris fisci, quippe qui vetatur transferre nomen in administratorem rerum fiscalium, quoniam commodam hic habet occasionem defraudandi fisicum \*). Addi potest de iure \*\*) quidem quoque non subsistere cessionem actionis in item deductae, sed praxis contrariae adhaeret sententiae \*\*\*).

### §. 5.

Nomen, quod cedatur, ita comparatum esse oportet: 1) ut a persona primi creditoris in alium queat devolvi o). Quod enim omnibus creditoris ita inhaeret, ut in alium successorem singularem non valeat transferre, nullum esse cessionis objectum idoneum ipsa dictitat rei natura. Interpretes solent suppeditare regulam: *nomen transmissibile*

\*) Nou. 72, c. 5. BERGER oeconomicus. iur. lib. II. tit. II. thes. XIX. not. 5.

\*\*) L. 2. 4. Cod. de litigios.

\*\*\*) BERGER oeconomicus. iur. lib. 3 t. 5. thes. 5. not. 22. MENCKEN system. iur. ciui. lib. 44. tit. 6. §. 6. LEYSER spec. 518. med. I. 2. SCHILTER ad Pand. exercit. 45. §. 24.

o) L. Fin. C. de hered. vel act. vend. generatim permittit redemptiōnem actionum vel personalium vel realium. Quaecunque itaque actio cedi potest, nisi specialis ratio inter-

veniat prohibens eiusmodi cessionem: quae vel ex eo repetitur, quod ius cedendum non profluit a libero creditoris arbitrio pendeat, ita, qui in alienando iure tertii indiget consensu, inutilam neglecto eo peragit cessionem. Ita pendente lite nihil est innouandum, cessio innouationem continet, per consequens prohibita intelligitur. Causa criminalis concernit ius reipublicae, de quo priuatus disponere nequit. Causa status extra commercium est, ius meum ciuitatis alteri donare impeditior ipsa iuris qualitate.

bile in heredes potest cedi. Ego amarem ita concipere regulam: quodcumque nomen, in quod tertius titulo singulari potest succedere, est cessibile et transmissibile. Prostant enim casus, quibus ius agendi in heredem non transfertur et tamen tertio cedi potest. Ita non transit in heredem querela inofficiosi p) nisi forte iamiam a defuncto fuerit praeparata q) cessio tamem nuspia iure prohibita inuenitur; quamquam sint, qui negent, eam valide cedi r). Ita transit in heredem actio litigiosa, nec tamen ideo cessibilis est s). Ita ceditur actio iniuriarum aestimatoria t) quamvis non transferatur in heredem. Regula semper ita, puto, concipi debere, ut evitentur exceptiones, in quantum fieri potest.

## §. 6.

p) L. 6. §. 2. L. 7. pr. Dig. L. 34.  
Cod. de inoff. testamento.

q) L. 34. C. de inoff. testam.

r) rectiore habeo sententiam eorum, qui querelam inofficiosi, cessibile esse putant. Est ea enim species hereditatis petitionis qualificatae, qua rite quidem, sed inique a tota legitima exclusus mediante impugnatione testamenti ius hereditarium ab intestato consequi intendit. Cessione eius propugnant LAVTERBACH C. T. P. lib. 18. tit. 4. §. 27. LENZ de nominibus et actionibus cessib. cap. 14. n. 4. n. 1. sq. MÜLLER ad STRVII Syntagma iuris ciuilis not. c. exercit. 23. §. 77. not. p. HVNNIUS ad TREVTL. vol. II. disp. 2. Part. 1. quaest. 24. Negant vero, cedi posse querelam inofficiosi, a SANDE

de cessione actionum cap. 5. num. 12. H. BOEHMER in introd. ad D. lib. 18. tit. 4. §. 9. HELFELDT iurisp. For. lib. 18. tit. 4. §. 1016. STRYCK de actionibus non cessilibus cap. 6. §. 8. Henr. de COCCEII disp. de cessione eorum, quae ad heredes non transiunt et contra Franc. 1709. Omnes hi dissentientes nullam idoneam sicut rationem.

s) L. 1. D. et L. 2. et vlt. C. de litigiosis.

t) arg. L. 32. D. ad leg. Falc. L. 11. §. 2. L. 17. §. 16. D. de iniur. L. MENCKEN Syst. iur. ciu. L. 13. tit. 4. §. 11. BERGER O. I. Lib. III. thes. V. not. 3. LAVTERBACH h. t. MÜLLER l. c. dissentient tamen quamplurimi v. g. H. BOEHMER l. c. HELFELDT l. c.

## §. 6.

Requiritur 2), ut nomen sit verum i. e. eius persequendi intuitu competit actio, quae nulla elidi potest exceptione peremptoria v). Nomen itaque *verum* nequit dici, contra quod talis competit w) exceptio vel forte nulla debendi causa probata subest v. g. nomen ex lusu non probato originem ducens. Causa ceu titulus eiusmodi latus sensu iuris nullus est. Ceterum si debitor cessus tempore cessionis forte iamiam insolvente fuerit, vel ex post euadit, cessionarius fert periculum x) bonitatem cedens praestare non obligatur y). Intelligo sub ea qualitatem debiti, quod facile exigi possit. Interuenire tamen possunt speciales rationes, quae et bonitatem exigunt, ut puta, si vendor sciuerit, debitorem cessum breui decocturum, aut actionem ipanem esse, idque emtorem celauerit z) vel

v) L. 4. D. de hered. vel act. vend.

w) e. g. cessus debitor vtitur exceptione solutionis, Scilicet Macedoniani, transactionis etc. hisce causibus facta cessio pro irrita declaratur, quem quoad iuris effectum nullum adfuerit verum nomen.

x) L. 74. §. 3. D. de eiudic. et dupl. stipulat. sunt verba: "qui nomen quale fuit vendidit: duntaxat ut sit, non ut exigit etiam aliquid possit, et dolum praestare cogitur" et si tempore factae cessionis solvendo quidem fuit cessus debitor, sed antequam exactum fuit creditum

bonis labi coepit debitor, casum fert cessionarius, argum. §. 3. Inst. de vendito.

y) L. cit. 4. sunt verba: si nomen sit distractum: CELSVS lib. 9. Dig. scribit, locupletem esse debitorem, non debere praestare: debitorem autem esse, praestare, nisi aliud conuenit.

z) L. 74. §. vlt. D. de eiudic. ibi et dolum praestare cogitur. Quis enim neget, eum in dolo esse, qui transcribit certo pretio in alium nomen, quod ipsi liquet nonmodo inutile fore, sed et sumptuosum emtori, si forte lite certabit? Facit hoc L. 22.

vel quando seduxerit emtorem venditor, afferens, debitorem suum esse idoneum, vel e mente BERGERIA) cambium sit cessum per indossationem; cedens enim, inquit, pro natura cambii, bonum nomen praestare debet, cum eius periculum ferat.

### §. 7.

Modum cessionis ex titulo emtionis venditionis factae definiuit imperator Anastasius antecefflor Iustini et Iustinia-

§. 2. solut. matr. FRANTZKIVS in comm. ad Pand. Lib. 21. tit. 2. n. 77. sq. vbi etiam ob probabilem errorem emtor succurrendum arbitratur. Quod et nonnulli alii interpres probant, sed lege refragante. Emtem, puto, dolum venditoris semper probare debere.

a) BERGER O. I. Lib. III. tit. V. th. V. not. 5. in fin. Videtur hic bonus vir respexisse ad ordinat. Camb. Lipf. L. 19. deficiente tali ordinatione iuris communis dispositionem tutius sequimur. Indosflatiarius qua cessionarius ab indosflante ceu cedente cambium indosflatum verum esse debitorem in dubio dun-taxat praestare cogitur. Casum plane singularem exhibet CRAMER Werlar. Nebenst. Part. 118. pag. 210-278. brevibus refero illum: de VOGEL-SANG habebat cambia a confiliario Saxo-Eisanacensi STEIT data. Emebat praedium nobile cum pertinentiis. pro summa 8300. a domino de REI-

ZENSTEIN, conuenit inter eos, vt 1000. intra oculidum soluantur, 3300. statim post sex hebdomadas, et loco residui 4000. in solutum acceptabat cambia praefata. Non longo tempore ex post rumor quidam narabat, indosflatum haud esse idonum debitorem. Venditor renuebat tradere praedium sub praetextu, emtem prius debere totum soluere pretium, dataque cambia inutilia esse: lis de hac causa mouebatur coram regime Saxo-Eisanacensi, acta plene instructa ad extra collegia mittebantur. Facultas iuridica Altorff: et Goettingensis periculum venditori adiudicare non dubitarunt, et quidem recte; probari non poterat, cedentem fuisse mala fide tempore indosflatorum cambiorum; quamquam cedens iuramentum cuitare non poterat, quo se se debebat purgare a sinistra praetumtione, se scivisse, tempore factae solutionis cefsum iamiam fuisse insoludo.

niani, qui regni fasces tenebat circa finem seculi quinti post C. n. Cautum nobis reliquit Anastasius, vt, si creditor dolo variisque persuasionibus inductus nomen suum pro viliori pretio vendiderit, a debitore ultra datum datique usuras, nihil quidquam emtor petere queat: sunt verba L. 22. C. mandati: "Comperimus quosdam alienis rebus fortunisque *inhiantes*, cessiones aliis competentium actionum in semet exponi properare: hocque modo diuersis personas litigatorum vexationibus afficer: cum certum sit, pro indubitate obligationibus eos magis, quibus antea suppeterant, iura sua vindicare, quam ad alias ea transferre velle, iubemus, in posterum huiusmodi conamen inhiberi: nec enim dubium est redemptores litium alienarum videri eos esse, qui tales cessiones in se confici cupiunt: ita tamen, vt si quis datis pecuniis huiusmodi subierit cessionem, usque ad ipsam tantummodo solutarum pecuniarum et usuriarum eius actiones exercere permittatur". Fundatur haecce dispositio summa aequitate; iniquum sane est circumuenire alterum, variis persuasionibus fraude plenis inducere creditorem, vt pro viliori et minimo pretio nomen suum transferat in inhiantem emtorem, quo sit, vt venditor patiatur damnum et emtor summum percipiat lucrum. Non poterat non imperator iustitiae et aequitatis summus amator commoueri ad talia inhibenda conamina, et certum determinandum modum, in contrauentione seruandum. Excogitabant tamen auaritiae dediti viam, qua saluberrimam illam dispositionem eludebant, utputa persuadebant creditori, vt in instrumento cessionis exprimat, vnam creditipartem esse venditam, residuum vero donatum; in fraudem legis hacce agebatur ratione; dubitantibus tamen nonnunquam

itidicibus, an talis cesso in fraudem legis facta dici queat, imperator Iustinianus omne dubium e medio tulit cauens, vt, si etiam vna pars donationis speciem prae se ferat, a debitore non plus exigatur, quam reuera pro emto nomine datum, datique vflrae efficiant. Sunt verba dispositiva Iustiniani L. 23. §. 1. Cod. mandati. Si quis autem occulte aliud quidem agere conatur, et *pecunias pro parte accipit et vendit particulatum actiones*, partem autem donare simulat, vel ipfi, qui emtionem actionis subit, vel forsan ali per suppositam personam (quia et hoc saepe perpetratum didicimus) huiusmodi machinationem penitus amputamus, vt nihil amplius accipiat, quam ipso vero contractu re ipsa persoluit: sed omne quod superfluum est, et per *figuratam donationem translatum*, inutile esse ex vtraque parte censemus: et neque ei qui cessit actiones, neque ei, qui eas suscipere curavit, aliquid lucri vel fieri, vel remanere, vel aliquam contra debitorem vel res ad eum pertinentes esse vtrique eorum actionem b).

### §. 8.

Deficiente dolo et iusto interueniente pretio validam esse totam nominis venditionem, adeoque suam haud habere applicationem legem Anastasianam ipsa dictitat rei natura,

b) Variis sunt, qui speciatim expuerunt scriptis modum cessioni nominis ab Anastasio, Iustinianoque praefcriptum: conf. MANZII interp. legis Anastasianae. BACH de lege Anastasiana. THOMASIVS de ae-

quitate cerebrina et exiguo vnu praetico legis Anastasianae, aliasque vides apud LIPPENIUM in bibl. iur. sub voce lex Anastasiana, in T. I. et III. suppl. SCHOTT. Tom. IV. suppl. SENCKENB. etc.

tura, nullaque opus est probatione. Sed quando pretium aliqua ratione iustum dici possit? non adeo expeditum est. Pretium iustum non praecise aestimatur ex quantitate debiti et valore rei debitae. *Actionem enim habere inspecta rei veritate, minus est, quam rem possidere* c) cum et sumptus in petendo, et euentus executionis possit esse incertus; et cogitanda sit mora temporis, quod datur iudicatis. Cum saepissime fiat, ut subito *Irus* fiat, qui modo Croesus erat, et sic inopia debitoris actionem reddat inanem d) aut eiusdem absentia, potentia, malitia vel aliae circumstantiae faciant, ut creditor nihil, aut deductis expensis et laboribus debito multo minus consequatur. Vnde etiam ob hasce difficultates, incommoda et pericula, nomina et actiones communiter minoris aestimantur et venduntur, quam in ipsa est obligatione. Nec quisquam regulariter pro iure sive actione dat pretium ipsi debito aequale; et fatuens dicitur, qui pro actione ad centum competenti centum dat in pecunia numerata e).

Ea propter in iusto et vero nominis s. actionis pretio definiendo etiam respicere oportet ad debiti securitatem et certitudinem, probationis facilitatem, debitoris qualitatem et alias loci atque temporis circumstantias f) propter quas haud raro accidit, ut actionis ad 100 competentis iustum

B 3 pre-

c) L. 240. D. de R. I.

§. 1. n. 95. LAVTERBACH C. T. P.  
Lib. 18. tit. 4. §. 63.

d) L. 6. D. de dolo.

f) arg. L. 63. §. vlt. D. ad Leg.  
Falcid. arg. L. 1. §. fin. D. de iure  
deliberandi.

e) RATH de contrah. emt. aff. 32.  
Lugo de I. et I. disp. 29. scđ. 7.

pretium sit 80. 70. 60. 50. aut minor quoque summa, pro qua scilicet communiter homines illam venderent et emerent. Nam hic quoque iustum pretium ex communi aestimatione, iudicis arbitrio definiendum est *g*). Ita puto validam totam nominis emtionem, si quis in subhastitutione publica, nomen mille florenorum quingentis bona fide emerit *h*), vel si quis 100. florenos tribus proximis annis soluendos, emat 70 flor. licet summa, in qua debitum superat pretium, excedat versluras, quas emtor interim ex pecunia soluta licite accipere posset *i*), cum hoc quoque in casu iustum pretium determinandum sit non tantum ex quantitate debiti, et legitimo verslurarum modo, sed etiam ex periculo et difficultate exactionis, molestiarum et sumtuum metu, ac aliis similibus circumstantiis, maxime nostris moribus, quibus vix reperitur debitum ita in tuto positum, vt aequiualeat pecuniae praesenti.

### §. 9.

Si pretium pro nomine emto datum proportionem fere nullam habeat cum debiti summa, et emtor bona fide egerit, nullo conamine, nullis adhibitis persuasionibus induxit venditorem, sed hic motu potius proprio rogauit v. g. Caium, qui emeret suum nomen, adeoque studio quaesuit emtorem, *also dass nicht der Käufer dem Verkäufer,*

*g)* MENCKEN syst. iur. ciu. lib. 18.  
tit. 4. §. 20. BERGER O. I. lib. 2.  
tit. 2. th. 19. not. 4. LAVTERBACH  
l. c. §. 64.

*h)* BERGER l. c. num. 2. LAVTERBACH l. c. §. 65. a SANDE de aet. cess. c. 11. 12. 24.

*i)* LAVTERBACH l. c. §. 66.

fer, sondern der Verkäufer dem Käufer nachgegangen; tunc cessat ratio *k)* legis Anastasianae, et per consequens eiusdem applicationi locum haud dandum existimauerim *l)* nisi forte vendens summa quadam necessitate antecedente constitutus fuerit, et a nemine alio potuit habere mutuam pecuniam, et in casu extremae necessitatis pro tertia e. g. parte bonum nomen vendiderit, aequitas ipsa summa poscit, ut tali cedenti succurratur, vindicet lex Anastasiana suum vnum hoc sensu, ut cessionarius non plus exigat, quam ab illo datum — reliquum autem permittatur cedenti exigere a debitore *m)*.

### §. 10.

Existimant quidem nonnulli interpretes *n)* hodie etiam in casibus lege Anastasiana exceptis non obligari cessum debitorem totum soluere debitum, quod isti casus sublati sint per L. 24. C. mandati. Verum cum illa lex in veteribus Codicibus non exstet, sed ex liberis basilicis desumpta, priuata auctoritate in nonnullis editionibus corporis iuris tuto

*k)* L. 22. C. mand. ibi: alienis rebus inhiantes, properare eiusmodi conamen, qui tales cessiones in se confici cupiunt. LAVTERBACH l. c. §. 70. 71.

*l)* LAVTERBACH l. c. STRYCK V. M. lib. 18. tit. 4. §. 8.

*m)* concipiatur casus: Caius christianus ab hoste turcico captus est, et in hostis dominio tenetur, paratae Pecuniae quantitate potest statum libertatis recuperare. Vendit nomen

100000 pro 6000 thal. quoniam alia ratione pecuniam habere nequit. Debitorem cessum non inique puto, oppositum exceptionem legis Anastasianae, cedenti reduci petitionem reliqui non esse denegandam.

*n)* FRANTZK resol. 8. 11. 41. et resol. 9. 11. 16. MANZ tract. de interpr. leg. Anast. ad L. 24. C. mand. n. 1. seq. et seq. quaeft. 67. PEREZ ad Cod. tit. mand. vel contra n. 19.

tulo mandati vel contra sit adiecta o) fatente ipso Cv-  
IACIO p) aliisque, ita vt illa veteribus incognita, et in  
foco numquam recepta fuerit; proinde eidem, vti et aliis  
similibus constitutionibus apocryphis, hodie merito omnis  
vis obligandi et leges abrogandi auctoritas, per ea, quae  
de huiusmodi constitutionibus tradunt GENTILIS q) Ric-  
civs r) nec non REITERVS s). Vnde etiam anno 1646.  
ICti Ingolstadienses secundum L. 22. C. mand. in casibus  
ibidem exceptis, consulentibus responderunt apud MAN-  
ZIVM t) et exceptiones illas Doctores hodie quoque pas-  
sim agnoscunt u).

## §. II.

Quaestio magni momenti est, cesso debitore exceptio-  
nem legis Anastasianae opponente, quis subeat onus  
probationis, an creditor cessionarius probare teneatur se  
tantum soluisse, quantum se accepisse in instrumento con-  
fessus est creditor cedens, vtrum cessus probare debeat,  
tantum non fuisse solutum? Reo excipienti volunt non  
nulli imponi onus probandi cessionem factam pro minori  
pretio; sed auctorem onere probandi grauari se iusto pretio  
rede-

o) in edit. corp. iur. a L. Charan-  
da curata Antwerp. 1575. defuit  
omnino L. 24.

p) lib. 16. obseru. 16.

q) de libr. iur. ciu. c. 5.

r) tract. de libr. iur. aphor. 57.  
verf. tertio loco pag. 121. in fine.

s) Part. I. dec. 36. n. 18.

t) interpr. leg. Anast. ad L. 24.  
C. mand. n. 11. in fine.

u) HVNN. encyclop. iur. p. 2. t. 5.  
c. 7. n. 12. etc. FREYER de solut.  
c. 3. n. 23. etc. LAVTERB. C. T. P.  
lib. 18. tit. 4. §. 72.

redemisse nomen, probabiliorem habeo sententiam; etenim verba L. 22. Cod. mand. "ut si quis datis pecuniis subierit cessionem, usque ad ipsam tantummodo solutarum pecuniarum quantitatet et usurarum eius, actiones exerceri permitte, licet instrumento cessionis venditionis nomen insertum sit" aperto sunt argumento, creditorem cessionarium oportere probare, se iustum dedisse pretium. Totum fundamentum et intentio agendi repetitur ex dato iusto pretio, quod cum autem res sit facti et praesumptione nulla munitum sit, secundum regulam, ei incumbit probatio, qui dicit non, qui negat *w*) auctori onus probandi suam intentionem agendi imponendum censeo, mecum consentiunt *DAVID GEORG STRUBEN* *x)* *LAVTERBACH* *y)* *a SANDE* *z)* *STRYCK*, *BERLICH* *a)* nec non *MEVIVS* *b)*.

### §. 12.

Alia quaestio est, ad quem pertineat residuum, cum cessionarius non plus, quam dedit, secundum legem Anastasianam exigere prohibetur? Nonnulli statuunt, id cedere fisco *c)* alii quam plurimi putant, remanere apud debi-

*w*) L. 2. D. de prob. L. 23. C.  
de prob.

*z)* *a SANDE* D. de cess. act. c. 11  
*g. 12.*

*x)* *STRUBEN* *rechtl.* *Bed.* *Tom. IV.*  
*Bed.* *190.*

*a)* *BERLICH* dec. 32. n. 12.

*y)* *LAVTERBACH* C. T. P. lib. 18.  
tit. 4. §. 73.

*b)* *MEVIVS* Part. 4. dec. 323.

*t)* Fisco cedere residuum praecepue si vendorum cum emtore collusit,

C pro-

debitorem cessum d). Alii denique distinguunt inter venditorem bona fide absque omni collusione agentem, et eum, qui cum emtore colludit: primo casu, arbitrantur, pertinere residuum ad venditorem cedentem e) altero debitori cedere lucrum f) et haec sententia herciscunda mihi arridet.

§. 13.

Disputant ICti, de vsu et non vsu hodierno legis Anastianae g). Meam si proferre licet sententiam, vsulum hodiernum probo: ius enim romanum est in complexu receptum, rationes eadem, quae erant Romanorum, in Germania nostra deprehenduntur. Nulla ratio idonea ex cogi-

propugnant CARPOV lib. 5. resp. 33. n. 27. MEYIVS in discusi. leuami. inop. debit. c. 7. n. 32. etc. FRANTZ lib. 1. resol. 9. n. 11. Rationes suppeditant: 1) quia nunquam debitori adiudicetur. 2) quia cedens superfluum in poenam amittat. 3) quia huiusmodi cessio sapiat usurariam prauitatem, quae punitur partis amissione fisco adiudicandae. Responde autem adiudicari quidem poenam usurariae prauitatis, non ipsum usurarium excessum.

d) pro debitore pugnant FINCKELTHAVS Obs. 17. RICHTER Part. 1. 36. n. 24. SCHILTER exerc. 30. §. 84. STRVV exerc. 23. thes. 80. BRVNNEMANN ad L. 22. et 23. Cod. mand. n. 5.

e) LAVTERBACH C. T. P. lib. 18. tit. 4. §. 77. MENCKEN syst. iur. ciu. lib. 18. tit. 4. §. 21.

f) LAVTERBACH et MENCKEN c. l. Etenim virique cedenti et cesso-nario denegatur L. 23. §. 1. C. mand. actio respectu residui. Fisco applicari nequit residuum, quoniam nulli illi est adiudicatum, et in dubio est contra fisum pronunciandum L. 10. D. de iure fisci. Quoties creditor propter delictum contra debitorem admisimus actione sua priuatur, regulariter et si aliud non reperitur constitutum, pertinet illud ad debitoris lucrum arg. L. 2. ff. quod metus causa. L. 1. et 2. Cod. ne licet potent. iunct. leg. fin. ibi: ut id veluti solatum habeat pro eo, quod potentiori aduersario traditus est.

g) THOMASIVS de aquitate cerebrina legis Anastianae; inuenire licet hanc Diff. Tom. IV. Dissertat. academ. coniunctim edit. Halae 1780.

cogitari potest, ob quam usum legis Anastasianae derelin-  
quamus. Lubens consentio, in iis regionibus et districti-  
bus, quibus floret quam maxime rerum commercium,  
suo modo relaxari posse constitutionem Anastasianam et Iu-  
stinianeam ceu factum in saxonii electoralii *i*) qua venditio  
nominis infra verum pretium licita est, modo ea fiat *1*) in  
iudicio, *2*) non infra dimidium veri pretii, *3*) expressis,  
in instrumento cessionis, cauta debendi et quantitate pretii:  
extra iudicium tamen validae manserunt factae cessiones  
in casibus lege Anastasiana ipsa exceptis. Caeterum vbi  
nulla apparet facta relaxatio, tenaciter iuri communi inhae-  
rendum censemt ipsa imperii tribunalia *k*).

§. 14.

Effectus cessionis sunt ipsa iura et obligationes ex cessione legitime facta profluentia. Considerari possunt, tum intuitu personarum cedentis et cessionarii: tum intuitu debitoris cessi.

1. Quod attinet cedentem: obligatur praestare *verum* nomen, minime autem bonum *l*), nisi speciales interue- niant rationes, quarum supra iamiam feci mentionem.

C 2 2) pu-

i) Mandat. elector. de 1 Febr. 1614.  
et decis. 28. BERGER refert tenorem  
O. I. lib. II. tit. II. thes. 19. not. 3.

k) usum legis Anast. propugnant generatim LAVTERBACH C. T. P. lib. 18. tit. 4. §. 81. MENCKEN syst. iur. ciu. Lib. 18. tit. 4. §. 22. LEY-

SER spec. 203. med. 1. 2. vsum eius  
in summis imperii tribunalibus pro-  
bat CRAMER in obs. iur. vniu. Tom I.  
obs. 287. variorum institui iudicato-  
rum iniciens mentionem.

b) L. 4. et 5. D. de hered. vel act.  
vend. L. 74. §. fin. D. de euict.

2) putant interpres iisque summae autoritatis, apud cedentem remanere ipsum ius agendi, ita, vt non obstante facta cessione cessum possit exigere debitum; ea enim, inquit, est obligationum et actionum personalium natura, vt a persona primi acquirentis in totum auelli, in alium extraneum, qui scilicet illum non vniuersaliter praesentat, transferri nequeant *m).* Alii medium ingrediuntur viam distinguentes cessionem nominis in iure factam et inter eam, quae non apud magistratum solem formula peracta fuerit *n)* per illam, opinantur, transiisse ius cedentis in cessionarium, non utique per posteriorem. Probant quidem cessionem in iure tamquam legitimum modum ius suum in alterum transferendi ICtus Caius et Vlpianus, et hic ait Fragn. tit. 19. §. 9. *in iure cesso quoque communis alienatio est, et mancipi rerum nec mancipi.* Pergit porro §. 12. *in iure cedi etiam res incorporales possunt, velut ius fructus, et hereditas, tutela legitima.* Eandem distinctionem volunt et moribus nostris seruari, ita, vt ius per cessionem coram iudice factam actu in alium devolvatur, sed non per extra judicialiter factam. Alii arbitrantur per constitutionem D. Pii qua cessionario permittitur uti agere actione *o)* cessione statim acquiri cedentis ius, siue facta sit in iudicio, siue extra illud *p):* Alii

*m)* FRANTZ Com. ad P. Lib. 21. tit. 2. n. 50. FABER Cod. fabaced. L. IV. tit. 29. def. 2. n. 2. LAVTERBACH C. T. P. lib. 18. tit. 4. §. 45.

*n)* I. H. BOEHMER introd. in ius D. lib. 18. tit. 4. §. 13.

*o)* L. 16. D. de paet. L. 1. 2. C. de obl. et act. L. 5. 7. 8. C. de hered. vel act. vend.

*p)* GUNDLING in Gundling. Part 6. obs. 2. §. 16. et subiuncta nota rem proponit hunc in modum: cessione

Alii existimant, cessionarium fieri verum dominum iuris cessi per L. C. q) adeo, vt ante illam verum ius remaneat apud creditorem cedentem, et alii denique mandatum habent r) pro iuris transferendi modo.

Interpretes clarissimi propugnant, moribus Germanorum antiquorum ignotam fuisse mandatam actionem, dominiumque per solam declaratam voluntatem ab altero acceptatam, fuisse translatum, quos et hodie venerari oportere s), ita vt ius romanum hoc capite plane inutile sit. Sed vereor, ne probari vñquam possit, talēm generalem constitutionem esse receptam. Fateor lubens, quam maxime difficile esse proferre sententiam, quae nullis exponeretur dubiis. Nec alienus sum ab opinione eorum, qui, per resignationem iudicialem, volunt, transferri dominium iuris cessi, sed si cessio extra iudicium fiat, an solo mutuo consensu an per quasi traditionem transferatur dominium,

C 3

flu-

cessionarium oportet nos sub duplii distingue reſpectū: primo ſpectandum eſſe qua mandatarium, quia actio in perfonam contrahentis propria credebat: alio reſpectū, inquit, eſſe cessionarium dominum, et modum acquirendi eſſe donationem, venditionem. Et in nota ſubiuncta ait, mandatum ideo duntaxat necessarium fuſſe, vt certior reddatur debitor, nec moras negat, nec de voluntate creditoris ſui amplius dubitet, sed cessionarium perfonae creditoris ſuccedentem agnoscat. Pergit porro, iure a Diuō Pio conſtituto abſque ſuccelloribus probato man-

datum expreſſum non requiri, ſed ſemper praefumti cum cessione eſſe coniunctum, ita, vt ius cedentis flatim in cessionarium fit translatum.

q) quia per L. C. procurator fit dominus litis per L. 23. Cod. de procurat.

r) BACHOV traſt. de action. Disp. 4. th. 3. HOTTON. lib. VI. obl. 16.

s) SCHILTER ad P. exerc. 30. §. 64. I. H. BOEHMER in consult. et decis iur. Tom. II. Part. I. Rep. 357. n. 25. et 26.

fluctuo quam maxime, quam amplectar sententiam. Perficitur consensu, super merce et pretio determinato, declarato emtio venditio, ex qua non nisi ius in personam vendoris acquirit emtor, vi cuius illum ad tradendum rei dominium cogere valet. Sed quale factum admittamus *qua modum* acquirendi, et in quo consistat quasi traditio, est quaestio hucusque nondum exacte decisā. Cum Interpretes varie sentiunt: mihi quoque licebit meam proferre opinionem. Nec plane ineptum habebit quis argumentum deductum ab analogia iuris seruitutis affirmatiuae promissi, cuius modus acquirendi consistit in incepto iuris exercitio interueniente concedentis acquiescentia; ita a pari concludere audeo, cessionarium acquirere dominium iuris cessi per denunciationem debitori cesso accidente concedentis acquiescentia legitime factam. Ab eo enim momento prohibetur cessus veteri creditori praestare solutionem t) cessionariusque postea forte coactus ad agendum, mouet proprio nomine actionem intuitu iuris personalis cessi competentem, cui addunt adiectam qualitatem *utilis* in signum translatae actionis a primario creditore ad secundum

vide-

t) ab eo momento, quo debitor certior redditur de facta cessione, omne ius ademtum est creditori cedenti per L. 3. C. de nouat, exigendi creditum vel transigendi, vel remittendi. Aliud, quam factum certiorationis per cessionarium admissum, *qua modum* transferendi dominium iuris excogitare nequeo. Per L. C. moribus nostris non vtique, ac Romanis, transfertur dominium, eam non possumus *qua modum* dominium

transferendi non obtrudere. Mandatum per se nunquam fuit modus transferendi dominium. Conceditur eo duntaxat potefas nomine mandantis agendi. Mihi duas modo erant ingredienda viae, vel nullum statuere modum transferendi dominium iuris extra iudicium cessi, vel si modum admitterem, factum denunciationis pro tali idoneum iudicarem.

videlicet cessionarium. Non dicam, me rectam dedisse decisionem, sed auctor sum, noua veteres augere sententias, et benevoli lectoris relinquio iudicio, quam temeraria mea sit opinio.

II. Cessionarius per cessionem legitime factam, cum qua non simul modus acquirendi est coniunctus, acquirit duntaxat ius in personam cedentis, vi cuius illum potest cogere, ut vel ipse nomen cessum exigat exactumque restituat: vel mandatum det, quo nomine cedentis agit mandata actione, et hacce ratione dicitur cessionarius vnam cum mandante repraesentare personam, omnibus priuilegiis mandanti competentibus vtitur mandatarius cessionarius ex persona cedentis. Sin vero modus acquirendi dominium iuris cessi interveniat, cessionarius dominium iuris personalis cessi nanciscitur, proprio agit nomine, personam cedentis non repraesentat.

Proinde fluit 1) illum non vti priuilegiis cedentis personae cohaerentibus v); sed propriis personalibus posse vti priui-

v) arg. L. 68. D. de R. I. L. 42. D. de administr. et peric. tut. c. 9. in iure praelectionis inter hypothecarios vxori dotem repetenti dato. L. 12. §. 1. C. qui pot. in pign. L. vnic. C. quando imperator inter pup. excipitur fisci actionem cedens transfert iura quoque, quac in istar personalium sunt. L. 3. L. F. C. de priuil. fisci iunet. Cap. 5. X. de rescript. in 6to

Nec non cesso solius cedentis vtilitatem respiciens: ut si mulier, secundo marito eandem dotis quantitatem inferre volens, moram necestibus primi mariti heredibus, parem fumiam a Titio mutuam accipiat nouoque marito inferat, creditori huic autem omne suum ius suo periculo cedat. arg. L. 45. §. 7. D. mandat. SANDE de cest. act. cap. 9.  
n. 15.

priuilegiis v. g. nomen cessum est in personam miserabilem, quae proprio nomine agens beneficio personarum miserabilium frui non prohibetur, adeo ut agere volens statim ad summa iudicij tribunalia prouocare queat. 2) qualitates iuri cesso annexas transire in cessionarium *w)* ut puta, hypothecam, priuilegium rei indultum. Cautela itaque omnino est, cessionarium esse curiosum, qua ratione maximum habeat commodum, an commodius et utilius sit mandata agere actione, tunc personam mandatarii agere oportet, si autem utilius sit proprio experiri nomine, persona cessionarii fungatur.

III. Cessi debitoris conditio nulla mutatur ratione cessionario mandata agenti actione. Omnes exceptiones enim contra mandantem competentes, locum vindicant quoque contra cessionarium qua mandatarium. Cessionario autem *proprio* agente *nomine* indirecte mutari poterit debitoris cessi conditio, v. g. cessionarius ex capite personae miserabilis prouocans ad summum iustitiae tribunal defraudat cessum foro primae instantiae; exceptiones autem intuitu debiti competentes, quas *reales* amant appellare, naturali ratione contra quoque cessionarium creditorem posse vrgeri *x)* nullus dubito.

### §. 15.

n. 15. MENCKEN, syst. iur. civ. lib. 18.  
tit. 4. §. 18. fiscum vero, ecclesiam  
vel piam causam, cui actio licite  
cessa fuit, in exercitio huius actionis  
non priuilegiis suis, sed iure ceden-  
tis per omnia vti adnotauit LEYSER  
spec. 200. med. 7. sed minus recte,  
cum hae personae iuris dominium  
adeptae fuerint. Constat ex L. 6.

de iure fisci, fiscum in nomine cesso  
habere hypothecam, licet antecessor  
nullam habuerit.

*w)* L. 6. D. de hered. vel aet. vend.  
L. 6. 7. C. de oblig. et aet.

*x)* BERGER O. I. lib. 3. tit. 2.  
th. 5. not. 10.

## §. 15.

Caeterum si cessionarius exigere velit debitum a cesso debitore, qui forte de facta cessione nondum conuictus est, oportet illum ante omnia se legitimare ad causam: i. e. probare factum cessionis, a quo pendet ius exigendi vel agendi. Possessio instrumenti obligationis sola non probat <sup>y)</sup>, eam enim potest cessionarius sine iusta causa habere; interest quam maxime cessi debitoris fecire titulum praecipue ob legem Anastasianam. Igitur omnino necesse videtur, ut cessionarius titulum cessionis probet. Cessat autem tituli probatio, cum nomine cedentis ceu mandantis agatur, sufficit produxisse legitimum mandatum.

Fraus hacce ultima ratione videtur facile fieri legi Anastasianae, sed si vel leues interueniant suspicionis cauae juramentum debtor deferre poterit, et quidem non tam agenti mandatario, qui interesse habet solus, quam potius creditori mandanti ceu cedenti, de cuius interesse non amplius agitur.

y) BERGER Oeon. Iur. L. III.  
T. III. thef. V. not. 12. MEVIVS  
Parte 7. dec. 126. COLERVVS de pro-

cessu executiuo Part. 2. capite 2.  
nro. 58.

D

B. de

B. *de concursu cedentis et cessionarii, nec non cessionario-  
rum inter se.*

§. 16.

Vocabulo *concurſus* varios comprehendendi significatus iuris peritiam profitentem haud latebit, e quorum censu depromam illum, qui huic materiae respondet. Est mihi *concurſus*, hoc loco, cum pluribus personis est facultas idem exigendi debitum cefsum. Concurrende possunt circa vnum idemque exigendum debitum:

I. cedens et cessionarius; dein

II. potest cogitari, vnum creditum pluribus esse cefsum, et hosce cessionarios litigare inter se de iure praelationis in exigendo cesso credito. Nos primo explanare loco constituimus, quid sit inter concurrentem cedentem et cessionarium iuris.

§. 17.

Cedentem, quamdiu cefsus debitor non est certioratus a cessionario de facta cessione, habere ius exigendi debitum, nec non debitorem rite illi soluere, comprobant varia iuris loca *xz*), ita, vt conuentio cuiuscunque generis,

vt

*xz*) L. 23. §. 1. D. de hered. vel  
act. vend. L. 4. C. quae res pignor.

L. 3. C. de Nouat. BERGER O. I.  
Lib. 3. tit. 5. th. 5. not. 6.

ut puta transactio *a)* remissio, pro valida habeatur. Quo tamen factio non liberatur cedens ab obligatione ad interesse cessionario praestandum *b)*. Quam primum vero inter- venit certioratio per cessionarium facta, prohibetur cef- sus debitor praestare solutionem veteri creditor i *c)* nec transactio, nec remissio ex post cum cedente inita vim ha- bere possunt, ratio omnino naturalis est, tum quia se sit, cedentem utilitatem iuris sui alteri concessisse, et inique agere cedentem percipere velle id, cui semel renunciauit, tum quia per illam denunciationem dominium iuris cessi acquisitum est cessionario, adeo, vt cedens in nullo amplius nexus sit cum debitore, et ad instar extranei sese ha- beat. Quo intelligitur sat superque, in exigendo cesso de- bito, facta denunciatione, iure praelationis perfrui cessio- narium *d)* imo proprie ne defendi poterit, adesse verum concursum, cum cedenti nullum omnino ius supersit. Re- geret forte quis, cessionario qua mandatario agente ius praferentiae habere cedentem mandantem, quippe cum mandans singulo momento valeat reuocare mandatum *e)*. Non denego eam praferentiam, si cessionarius qua simplex agit mandatarius, nullam factae cessionis faciens mentio- nem. Sed si simul factae cessionis fecerit mentionem, eamque cesso debitori probauerit, pernega cedenti prae- lationem, quippe qui semel iuris sui utilitati renunciauit.

## D 2

## §. 18.

*a)* L. fin. C. de transact. L. 23.  
§. 1. D. cit.

*d)* L. 55. D. de procurat. L. 18.  
D. de pign. act. L. 3. C. de Nouat.  
TITII obleru. 533. 535. MENCKEN  
syst. iur. Lib. 18. tit. 4. §. 17.

*b)* L. cit. fin. de transact. L. 23.  
§. 1. eodem. L. 6. C. de hered. vel  
act. vend.

*e)* §. 9. I. de mandat. L. 12. §.  
pen. D. Mandati vel contra.

*c)* L. 3. C. de nouat.

## §. 18.

Nec ex eo potest cedens fortius praetendere ius, quod forte in nomine cesso ius pignoris vel nexus fideiussionis non simul transtulit in cessionarium, quod ytime facere licet f) sed cum cedens utilitatem iuris sui personalis maluit concedere cessionario, nil iuuat retentum ius pignoris vel nexus fideiussionis. Debitor enim cessus primum vetatur soluere veteri creditori a momento factae denunciationis; deinde censetur cedens, cum noluit iura credito annexa simul translata, tacite hasce adiectas remississe qualitates; consequitur nullum illi tribuendum esse ius praeferentiae, adeoque oportere eum semper posteriorem occupare locum.

## §. 19.

Nonnunquam accidit, vt creditor vnum idemque nomen pluribus in solidum cedat. Quo fit, vt oriatur concursus cessionariorum. Vtrum autem talis concursus possibilis sit varii in dubium vocare conati sunt, moti hac ratione, quod creditor prima cessione totum ius transtulit in primum cessionarium. Verum non fundata est illa ratio: etenim quamdui cessionarius per quasi traditionem nondum nactus sit dominium iuris cessi, creditor iuris manet dominus venditi, et nulla ratione prohibetur, sui iuris dominium quoque et alteri concedere. Argumentum eidens suppeditat L. 15. C. de R. V. qua expresse cautum legimus, si dominus dominium rei pluribus promisit, illius esse meliorem conditionem, cui res est tradita. Idem probat L. 6. C. de hered. vel act. vend. qua imperator Alexander, heredi-

f) L. 23. pr. D. de hered. vel act. vend.

reditate pluribus vendita, eum tuetur, cui prius hereditaria res tradita; eeternum manet alis contrahentibus saluum ius agendi ad interesse aduersus cedentem, quod et Alexander lege citata ob aequitatem naturalem approbavit. Cum e nostra hypothesi dominium iuris cessi ante denunciationem debitori factam nondum abierit a persona cedentis, prono fluit alueo, ante talem denunciationem idem posse pluribus cedi nomen.

§. 20.

Opportuna videtur moueri quaestio, an cessionarius suam actionem iterum alteri valeat cedere? Quod quidam veterum 1Ctorum negarunt. Rationem illorum nec diuinare nec capere possum. Absurdam habeo rationem quo-rundam opinantium, cessionarii primi actionem utilem esse ita personalissimam, vt a sua persona in aliam minime possit deuolui. Nec natura rei, nec ullus iuris textus comprobatur eam. Si e natura rei hauriam decisionem, discrimen, puto, oportere statui: cessionarius an dominium iuris cessi iamiam adeptus fuerit, utrum tantum habeat ex contractu ius in personam cedentis ad transferendum dominium. Primo casu cessionarius est verus dominus, liberrimus rei suae moderator, et consequenter ius suum valet iterum in alium transferre. Casu posteriore quo ius duntaxat in personam cedentis habet, iterum liberrime hoc de *iure suo in personam* disponit, adeoque et hocce ius iterum alteri cedere potest. Permittit quidem SCHIFORDEGHER g) ulteriorem cessionem; sed primam actionem utilem haud transferri putat, et secundum cessionarium habere non ex venditione sed ob aequitatem et sola iuris potestate ex pro-

D 3

pria

g) discept. forens. lib. 3. tit. 23. quaest. 3.

pria persona nouam actionem vtilem. Miror quam maxime hunc virum acuti ingenii tales potuisse proferre opinionem.

§. 21.

Indubitatum habeo, cedentem semper postponi cessionario, et communi fere doctorum calculo recepta est haecce sententia. At non tam expedita est quaestio, quis inter plures cessionarios iure gaudeat praelationis? Interpretes variis a se inuicem differunt sententiis. Existimat a SANDE *h)* despiciendum esse, an utriusque cessionario nomen sit cessum re adhuc integra i. e. antequam interuenerit vnum ex tribus illis ab Imperatore in L. 3. Cod. de Nouat. propositis, et tunc putat, cessionarii praeoccupantis meliorem esse conditionem, quia actio directa, quae apud cedentem remansit, aequo iure secundo cessionario, quo primo, potuit cedi, illosque ambos concurrentes in pari censeri iure esse, quorum melior conditio sit occupantis. An autem re non integra sit cessum nomen, quo casu statuit priorem cessionarium praeferendum esse, cum secunda cessio hac vice sit inutilis, quippe quae eo tempore facta, quo ipse cedens inuitio cessionario actionem mouere non potuit per L. 3. vt hic idcirco non plus juris transferre potuerit in alium, quam ipse habuit *i).* Alii hocce negotium hisce distinctionibus componunt, vt attentatur, utrum utilis actio per expressam cessionem, an sine ea fuerit translata, vel utrum saltem exercitium directarum actionum fuerit mandatum. Si illud, dicunt, illum cessionarium praeferendum esse, cui mediante expressa cessione utilis actio concessa, etiamsi sit secundus cessionarius, eo quod cessio in incorporalibus locum traditionis teneat. Sicut ergo

*h)* de act. cess. cap. 12. nro. 8.

*i)* L. 54. D. de R. I.

ergo e duobus eintoribus rei corporalis praefertur secundus, cui res fuit tradita, ita in incorporalibus praferendum esse secundum, in quem nomen venditum per cessionem translatum. Quodsi absque cessione expressa actiones viles competant, vel faltem directarum actionum exercitium mandatum, utroque casu volunt, primum cessionarium praferendum esse; quod illi per cessionem nominis sit certum ius quaesitum, nulla ratione ab ipso reuocandum, et quod ipse cedens, si virtute directae actionis concurreret cum cessionario, huic postponendus esset, adeoque pariter in concursu nostro vtilis directae praferenda k).

### §. 22.

Nonnulli alii aliam ingrediuntur viam l) discernentes cessionarios, qui erant cedentis creditores, ab illis, qui antea tales haud erant. De posteriore genere placet indistincte definire: primum cessionarium esse praferendum secundo et reliquis posterioribus, tum ut infinitae euentur lites: tum quod primo cessionario ad debitum petendum sit adeo firmum ius quaesitum, ut secunda cessione infirmari non potuerit. Vtulis enim actio, inquiunt, quae primo cessionario statim competit post venditum nomen, ad hunc effectum parata est, ut illa actu nomen cessum exigat, non ut vana sit, et adimi possit iterum secunda cessione. Intelligi volunt de casu, quo inter duos cessionarios quaestio oboriatur, quis eorum in exigendo debito praferri debat? Nec negant, posterioris cessionarii meliorem esse conditionem, si praeuenenterit priorem et a debitore solutam acce-

k) L. 55. D. de procurat. ALPH. de  
OLEA de cess. iur. et act. tit. 6. qu. 8.  
n. 6. etc.

l) WILLEMBERG D. de concursu  
cedentis et cessionariorum pag. 46.

acepit pecuniam. Debitori enim, qui bona fide soluit, nihil imputandum, et cessionarius secundus qui per exactiō-  
nem nominis possessione eius potitus, hac vice potiore iure  
gaudet quam primus *m.*

Regressum tamen ex benigniori sententia cessionario primo contra cedentem denegari non posse, ut puniatur propter fidem fractam. Refutant sententiam de Olea hacce ratione, impossibile esse cedentem posse expresse transferre actionem vtilem, cum nequidem tacite cogitari queat eiusmodi translatio. Etenim primo ipsi creditori non utilis, sed directa, competit actio, quam ipse non habet, non potest transferre secundum propositionem logicam, *non entis nulla praedicata*. Proinde claudicat comparatio ex L. 15. C. de R. V. petita. Quid enim in rebus corporalibus sit potior, cui res est vendita et tradita, ob dominium et rei vindicationem inde orientem dispositum est, quae iura ex traditione demum sunt consequenda. In cessione autem nominum haud tali iure opus est, cum non ex cessione, sed sola venditione nominis actio et in effectu dominium nominis competit. Refutant pari modo sententiam primam a SANDE communicatam. Primo cessionario, aiunt, competere ius adeo firmum, ut in concurso cedentis et cessionarii posteriori adiudicata lege sit praeferrentia. Et ita cedens in secundum cessionarium non plus transferre iuris, quam quod ipse habuit. Manifestum itaque putant esse, secundum non posse primo cessionario praeponi.

§. 23.

*m)* arg. L. 3. C. de Nouat. L. 23. C. T. P. lib. 18. tit. 4. §. 53.  
de her. vel act. vend. LAVTERBACH

## §. 23.

Si idem nomen sit pluribus, sed creditoribus cessum, iterum distingunt inter creditores personales et hypothecarios. Si prius: distingunt iterum, vtrum nomen cessum sit personale vel reale ceu hypothecarium. Illo cesso plures cessionarios pro rata concurrere arbitrantur, ita, vt omnes ratam a cesso debitore exigere queant *n*). Hoc vero cesso primum esse, putant, praferendum. Tametsi enim hic respectu sui cedentis sit tantum creditor personalis, aequae ac est secundus cessionarius, nihilominus quia ex cessione plus iuris et quidem reale consecutus *o*) quique simul prior est ex cessione secundo, marito huic praferri debet. Nam cum cuiusuis petitio est aestimanda ex iure competente, et omnino pinguius ius est reale quam personale, praelatio illa sine dubio statuenda.

## §. 24.

Cum vero cessionarii sint creditores hypothecarii: discernunt iterum hypothecarios generales creditores a speciis; posito casu, omnes creditores esse hypothecarios generales, indistincte priorem creditorem praferunt, siue sit primus siue secundus cessionarius, siue agat directa siue vtili actione. Cum enim hypotheca generalis efficiat omnia bona et ita nomina quoque *p*) non potuit creditor posterior aut sit cessionarius prior, in praeiudicium posterioris cessionarii, sed primi creditoris, potentius ius praetendere, imo nec

*n*) L. 6. C. de bon. aut. iud. poss. CARPZOW Part. 1. Conf. 28. def. 259. ZOESIVS ad P. Lib. 2. tit. 4. nro. 21. WILLEMBERG cit. Diff. p. 47. o) FRANZK Lib. 1. resolut. 14. nro. 2.

*p*) L. fin. C. quae pignor. oblig. CARPZOW Part. 2. conf. 3. defin. 7. BACHOV ad TREVTLER. v. 2. disp. 1. thes. 26.

nec potuit cedens prioris creditoris iura per cessionem illam  
infringere, vtpote quae ipse semel quaesita perpetuo salua  
manent <sup>q)</sup>. Vnde ob hanc rationem DD. quoque con-  
cludunt, solum hypothecarium creditorem non cessionarium  
posterioris hypothecarii cessionarii cessionem interimere  
posse ne petat nomen cessum, si accidat debitorem cessum  
vtrique sufficientem non esse <sup>r)</sup>. Nec aliter rem deciden-  
dum esse putant, si primus creditor generalem, secundus  
specialem in re quadam cedentis habeat hypothecam.  
Quodsi primus habeat specialem, secundus creditor gene-  
ralem hypothecam, ob ius in nomina per hypothecam ge-  
neralem quaesitum, hunc indistincte preeferunt, siue huic  
secundo primum, siue post primum creditorem demum debi-  
tum fuerit cessum. — Si duo creditores sint, qui habent  
specialem hypothecam in bonis cedentis, alter in horto,  
alter in domo, et illis actio personalis contra debitorem ce-  
dentis cessa fuerit, ambos pro rata admittunt, non aliter  
ac illos, qti non sunt hypothecarii, quia ex cessione com-  
petens actio tantum personalis est, non tribuens prioritatem  
in rebus; hinc ergo neuter illorum in debito cesso priori-  
tatem preeendere poterit. Si vero his duobus speciebus  
creditoribus hypothecariis hypothecariorum nomen cessum  
sit, non ex iure suae hypothecae, sed ex cessione eos aesti-  
mant, ita, cui prius nomen cessum preeferatur secundo,  
quia hypotheca illa specialis, quae in bonis cedentis com-  
petit, nullum effectum producere potest in bonis cessi debi-  
toris. Si tandem vni horum creditorum in specie oppig-  
nora-

<sup>q)</sup> SALGADO in labyr. cred. P. 1.  
c. 10. n. 79. SCACCIA de appell.  
qu. 17. limit. 16. m. 4. n. 88.

<sup>r)</sup> BRVNNEM. de cess. aet. c. 5.  
n. 42. SANDE de aet. cess. c. 12.

n. 10. SCACC. de commerc. qu. 7.  
§. 2. limit. 20. §. 2. Gloss. 5. nro.  
418.

norata essent nomina, omnino is simpliciter praelatione gauderet, non tam ex cessione illa, quam hypotheca antea sibi competente s).

§. 25.

Propositas variorum sententias sub calculum reuocare quidem mihi non est animus. Licebit tamen meum de concursu plurium cessionarorum opponere iudicium. Oportet vtique generatim duplicum qualitatem cessionariorum intueri. Primum propono cessionarios, quibus nomen ex titulo dominii translatum fuit cessum; nil sane interest, an idem ius ex eodem repetito titulo promissum v. g. duobus fuit nomen separatim venditum: an ex diuersa fuit causa promissum, vtpote vni est nomen venditum, alteri donatum. Si e iure naturae, secundum quod ius ipsum cedentis mea sententia in cessionarium absque omni interueniente signo quasi traditionis translatum est, haurirem decisionem, nullum admitterem verum concursum, quia cedens primus creditor ius, quod non amplius habebat, in aliud secundum non potuit transferre, adeoque ad primum cessionarium semper pertineret solum ius exigendi debitum cessum, et si alius forte in exactione eum praeuenisset, teneretur quasi gestor negotii exactum primo cessionario restituere, conuenirique posset, vel actione negotii gesti contraria vel etiam doli, cum dolo malo primo cessionario hocce exactum nomen quaestusset intercipere. Nec dubito illos ita argumentatos vel argumentari, qui defenderunt vel adhuc propugnant moribus Germanorum cessum ius nominis sola acceptatione esse cessionario adquisitum. Ultimo eundem in modum oportet argumentari eos, qui lege, arbitrantur,

E 2

Diui

s) Nou. 112. c. 1. vers. ab hoc.  
HAHN ad WESENBEC. lib. 20. t. 5.

n. 1. BRVNREM. ad L. vlt. C. de  
oblig. et act. n. 3.

Diui Pi<sup>i</sup> ius cessum sola acceptatione aequa ac de iure Naturae, adquiri acceptanti. Nec negauerim Dicasteria forensia hancce hinc inde adoptasse sententiam, eamque in rerum argumentis decidendis applicuisse. At: cum iudicia non vniiformi reguntur opinione, et Iphis superioribus praecipuas interpretum recensui opiniones: Quam ego secundum ius posituum teneam sententiam addere audeo. Defendi supra ex solo titulo dominii translatiō ius nominis ipsum haud comparari, sed duntaxat ius in personam promittentis, vi cuius illum cogere possum, vt utilitatem ex nomine cesso percipiendam mihi relinquit, nullaque intercipiat ratione. Ius vero nominis ipsum adquiri per *quasi traditionem*, quae consistit in actū denunciationis debitori cesso legitime factae, eum oportere solvere non primo suo creditori, sed cessionario. Posita hac hypothesi si feram decisionem de concursu cessionariorum, omnino me distinguere oportet, an cessionarii inter se disceptent de iure exigendi debitum, debitore factae cessionis plane ignaro, tempore priorem primum, arbitror, vindicare locum. Neuter enim comparauit ante factam denunciationem ius nominis ipsum, sed duntaxat adquisuerant ius in personam promittentis, quo petere poterant, vt desisteret ab exactione nominis. Aequale utriusque est ius in personam, quorum vni prioritas tantum temporis praferentiam donat secundum regulam: *prior tempore potior iure.* Quo simul intelligitur, nomine pluribus eodem tempore donato vel vendito vel in solutum dato, omnes concurrere pro rata, omnesque in exigendo debito pro rata esse audiendos admittendosque. Si vero per alterum cessionariorum cesso debitori denunciatum sit, factam sibi esse cessionem, huic ius nominis ipsum adquisitum est, et

et naturali ratione iure fruitur praelationis. Nec refert, primus sit, siue secundus cessionarius, dominium enim ipsius nominis *iuris* sane fortius est, iure alterius personali, vi cuius quoque poterat nominis *ius* adquirere, a quo iam per prioris praeventionem plane est exclusus. Nil tamen iuaret praeuentio in acquirendo ipso nominis iure facta, cum forte dolus coincidat, quo ex capite vel ab actuali exactione debitae quantitatis excludi vel exactum nomen restituere poterit cogi. — Nec invita Minerua concesserim, in foro semper praeferriri primum cessionarium, licet eum bona fide praeuererit secundus in denunciatione, modo non acceperit a debitore actualem praestationem in qua eum fere omnes et ICti et fora et facultates iuridicae tueri minime dubitant. Ratio huius defensionis procul dubio ex eo repetunt, quod is, qui bona fide quantitatem actu accepit solutam, sit rei corporalis dominus, et dominium rei corporalis longe habeatur pinguis et fortius, quam dominium iuris personalis. Quod probant argumento a fundo pluribus vendito depresso. Cui fundus prius traditur, acquirit dominium, potior est caeteris emtoribus *ius* modo personale ex contractu emtionis venditionis habentibus. Probat hanc prerogatiuam ipsa L. 15. C. de R. V. Quantacunque ICtos maximaे autoritatis habeo veneratione, tamen secundum subtile *ius* me nunquam de eorum potuere conuincere opinione et sententia.

Vereor quam maxime, ne aliqua ratione claudicet dictum argumentum. Etenim possessio fundi est dominus rei corporalis, hocceque dominium per venditionem non nisi interueniente traditione transit in emtorem; et si pluribus illud est promissum, praefertur omnino is, qui traditum accepit dominium. In venditione nominis *iuris* vendor

E 3

non

non dici potest dominus rei corporalis, cum ipse non habeat dominium quantitatis debitae, quod acquireret deum in quantitate rerum fungibilium determinata et tradita, habet ipse tantum ius personale acquirendi dominium certae quantitatis debitae. Si hocce ius personale vendidit, emtor cessionarius illud ipsum nominis ius subtili iure non potest acquirere nisi per interueniens signum quasi traditionis, ante illud habet modo ius in personam vendoris ad adipiscendum dominium iuris nominis, et si plures sunt eiusdem iuris emtores, singulo ex simplici contractu non nisi ius competit in personam vendoris ad ius nominis ipsum quasi tradendum i. e. ut patiatur emtorem deuincire debitori cesso, soluere cessionario et non primo veteri creditori. Qui inter plures cessionarios talem suscepit actum, prius adquisivit dominium iuris nominis et naturali ratione caeteris est praeserendus. Qui propugnant primum cessionarium acquirere statim ipsum nominis ius, coguntur et affirmare, nisi contradictionem velint admittere, primum cessionarium duntaxat habere ius exigendi debitum cesso. Neque enim cedens potest exigere, quippe qui non ex eorum hypothesi non amplius iuris sui retinuit particulam — neque secundo cessionario tale ius adscribi poterit, cum a primo creditore, a quo iamiam abierat ius exigendi non potuit acquirere. Consequitur, secundum cessionarium, si et exegisset bona fide debitum, habuisse tantummodo ius personale putatiuum, quod vero iuri omnino postponendum est. Nulla alia idonea ratione defendi poterit retentio debiti cessi a secundo cessionario exacti, quam quod admittat quis cedens ius nominis nullo modo transire in cessionarium quoad ius ipsum, et cessionarium semper agere debere ex vero vel praesumto mandato,

quod

quod tamen maximaie ICtorum parti haud placuit nec arri-  
det impraesentiarum.

§. 26.

Si accidat, vt quis nomen suum pluribus oppignoret, siue fiat speciatim, siue tale nomen sub hypotheca omnium bonorum comprehendatur, et controuersia oriatur de iure praerogatiuae inter ipsos oppignorantis creditores hypothecarios, ius potius caeteris paribus ex prioritate temporis diiudicandum existimo *t*) et si pluribus eodem tempore idem nomen sit in solidum oppignoratum, concurrunt pro rata in exigendo oppignorato nomine *v*). Si alterum autem alteri in exactione praeuenirerit, huius meliorem habeo conditionem secundum regulam: *in pari causa melior est conditio possidentis w)*, vbi autem vel prioritas temporis, vel priuilegium, quod iuri hypothecario in vna alteraque persona est annexum, praerogatiuam decidit, semper personam firmiore iure gaudientem praeferre oportet v. g. C. mutuam accipit pecuniam a T. oppignorat omnia bona sua. Quo facto in vxorem dicit MEVIAM, quae dotem infert, cuius intuitu immediate ex lege in omnibus mariti C. bonis generalem confectuta est hypothecam. Concursum existente in C. nomine, quod debet Venuleius, sub hypotheca generali comprehenso, vxori, licet tempore posteriori, praelatio adiudicanda foret, quippe cuius hypotheca speciali praelationis priuilegio ex legis dispositione munita est *x*). Posito casu creditorem Caii Titium hypothecariorum praeuenisse illius mulierem in oppignorato nomine, illudque accepisse solutum, omnino liberatus est debitor ve-  
tus

*t*) L. 2. D. qui pot. in pign.

*v*) L. 16. §. 8. D. de pignor.

*w*) L. 10. D. eodem. LAVTERBACH

C. T. P. Lib. 20. tit. 4. §. 5.

*x*) Nouell. 97. cap. 2. et 3.

tus bona fide soluens. Sed an mulier hocce debitum ab infirmiore creditore exactum eique solutum valeat repetrere est quaestio intricata? In re corporali hypothecae nexui subiecta euanescit quidem omne dubium. Qui fortius habet ius in tali re, persequitur rem corporalem contra quemcunque possessorem et ita etiam contra possessorem oppignerantis creditorem infirmius altero habentem ius pignoris. At in proposito casu quantitas ipsa soluta materialiter sumta haud erat oppignerata, sed creditoris *ius nominis* quod erat ius in personam, ab eoque momento extinctum, quo debitor bona fide creditori infirmiori hypothecario actualem praestiterat solutionem. Cum hocce ius nominis nullibi amplius exstet, persecutio eius non amplius cogitari poterit, adeoque hoc respectu foret mulieri creditori hypothecariae priuilegiatae deneganda repetitio eius, quod infirmior per praeuentiōnem accepit solutum. Hausi decisionem ex natura ipsius obiecti oppignerati, quo non amplius exstante, cessat omnino alterius ius pignoris; sed dubito tamen quam maxime, an aliis arrideat proposita sententia, reuoco lubens eam, et gratissima mente accepto meliorem decisio-  
nem fortioribus nitentem rationibus.

Constitueram quidem animo hancce materiam latius persequi et totam exhaustire, cancelli vero temporis, quibus hocce erat expoliendum argumentum, veterunt implere propositum. Benevolus lector offendens sententiam a sua forte longe alienam veniam det, peto etiam atque etiam.

Göttingen, Diss., 1790-91

ULB Halle  
004 826 981

3



f

TA → OL  
nur verschick v





1791, 1  
11

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**CESSIONE NOMINIS**  
ET IN SPECIE  
DE  
CONCVRSV PLVRIVM CREDITORVM  
IN  
EXIGENDO CESSO DEBITO

Q V A M  
SVB AVSPICIIS AVGVSTISSIMIS REGIS  
CONSENTIENTE ILLVSTRI VICTORVM ORDINE  
PRO ADIPISCENDIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

DEFENDET  
DIE X IVNII MDCCXCI  
FRIDERICVS GEORGIVS ANCKELMAN  
HAMBVRGENSIS.

GOTTINGAE  
TYPIS BARMEIERIANIS.

